DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
GASTRITIDE,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
PERILLUSTRIS ET SPECTABILIS DOMINI
DECANI,
NEC NON
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS
in antiquissima ac celeberrima
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICAE DISQUISITIONI
SUBMITTIT
Michael Luschnitzky,
Stirus Angerensis.

In theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die 2. mensis Novembris 1839.

VINDOBONAE.
TYPIS CAROLI UEBERREUTER.

Tanta est nervorum in ventriculo potestas, ut hoc sano secundae valetudinis sensatio per omne corpus percipiatur, aegrotante, aliae, etiam remotiores partes, organa et systemata in compassionem adducantur.

Michael a Lenhossek.

ILLUSTRISSIMO AC CELEBERRIMO

DOMINO DOMINO

ANTONIO EQUITI DE PLAPPART,

AUGUSTISS. IMPERAT.

A CONSILIIS AULIC., SUPREM. JUDICII VECTIGAL. ASSESSORI, STUDIORUM JURIDICO-POLITICORUM AD CAES. REG. AULIC. PRO STUDIIS DELEGATIONEM REFERENTI ET DIRECTORI, NEC NON INCLYTAE FACULTATIS JURIDICAE PRAESES

etc. etc.

VIRO

INGENIO, SCIENTIA, HUMANITATE INSIGNI,

SUMMO ARTIUM

LITERARUMQUE AESTIMATORI ET CULTORI

FAUTORI OPTIMO

IN

ANIMI GRATI, PERENNIS VENERATIONIS

SINCERIQUE CULTUS

MONUMENTUM

PIA MENTE HASCE LITERARIAS PRIMITIAS

OFFERRE ET CONSECRARE

audet

devinctissimus

Auctor.

Vir illustrissime!

Quum jam multis ex annis mihi in votis fuisset, Tibi, vir illustrissime, pro tanta, qua me hucusque complexus es, benevolentia exstruere publicum grati memorisque animi monumentum, volens ac lubens arripui eam, quae mihi ad finem perducto studiorum curriculo se obtulit, occasionem, hasce literarias primitias Tibi consecrandi. Quas vero, quum admodum tenues et indignae sint, quae tanti viri, cujus gloria vasti imperii austriaci finibus minime circumscribitur, nomine decorentur, Tibi offerre ausus non fuissem, nisi singularis Tua humanitas et

clementia mihi satis notae ac exploratae forent.

Quapropter, Illustrissime vir! benigna manu suscipias hasce pagellas, et non tam eas, quam auctoris studium ac voluntatem spectatam habere maxime velis. Hinc enim fiet, ut hoc munus, quod si ex sua, vel Tua dignitate spectetur, perexiguum certe est ac prope nihil, ex magnitudine tamen animi multo majora dare cupientis aestimatum, quid magnum, aut saltem aliquid esse videatur.

Proœmium.

In dissertationis argumentum, quam lege academica publici juris facere jubeor, Gastritidem seligendam judicavi, morbum magni momenti, qui ab initio cognitus et rite tractatus medelam in multis casibus admittit, ad altiorem gradum evectus plerumque omnes medici, licet expertissimi, conatus eludit mortemque consciscit. Omnis mea opera eo redivit, ut quaecunque in virorum de arte medica optime meritorum scriptis sparsim inveniebantur, excerperem, colligerem inque ordinem opportunum, quantum in me erat, redigerem atque disponerem.

Si quid, lector benevole! praeter tuam exspectationem inveneris veritati minus

conveniens, ne mihi vitio vertas, quaeso; sunt enim primitiae medici diuturna experientia nondum adjuti, et memor sis, quod vir doctissimus ante saecula effatus est: Errare humanum.

Interim vale et fave!

Dabam Vindobonae 5. *Octobris* 1839.

Auctor.

Denominatio ac Definitio.

Gastritis a Graecorum γαστὴρ, έρος ventriculus, et terminatione ιτις, quae antiquissimo jam medicorum more recepto statum inflammatorium denotat, originem trahens, est febris acuta cum dolore acerrimo, continuo, fixo, ardente, pungente in regione ventriculi, cum vomitu omnium ingestorum, magna anxietate, extremitatum frigore et pulsu parvo, filiformi incedens.

Morbi dignitas.

Haec phlogosis summi momenti habenda est; etenim ventriculus, ut Petrus Frank monet, organon sistit, cujus nemo mirabilem in homine cum quovis viscere et cum universo corpore consensum ac servitutem non minus, quam in singula imperium ignorat; organon, quod vitae vegetativae praeest et totius vitae fons dicendum est. Quam in oeconomia animali dignitatem stomachus suis praecipue affectionibus morbosis demonstrat; lapsus enim virium vitalium tantus ejus morbos comitatur, quantus in nullo alio.

Hicce, quem ventriculus sustinet, consensus difficultatem non exiguam parit distinguendi, num in se ipso, an in amicis organis sedes morbi sit. Quam accurate erui, quum maximi intersit, symptomata, quibus gastritis stipatur, exactissime enumerentur, necesse erit.

Symptomata gastritidis generalia.

Dolor vehementissimus, ardens, pungens, fixus, continuus, in regione ventriculi, qui ad partes prope jacentes extenditur, ast facile distinguendus, quod quibuscunque etiam blandissimis assumtis maxime au-

getur, inque stomacho concentratur, et quod partem affectam premendo magna incrementa capit. Regio epigastrica sinistra est tensa, et anxietas magna in praecordiis percipitur. Vomituritiones et vomitus continuus aegrum vexant et exagitant ab assumptis quibusvis mox excitatus. Marmoreum frigus extremitates prehendit internis urentibus partibus; pulsus sunt parvi, contracti, frequentes, duri, (pulsus abdominalis) et maxime variabiles. Febris, quae frigore sat intenso, subsequo aestu, siti, debilitate, urinis parcis, rubris stipata, aut affectioni locali praecedit aut eamdem sequitur, nunquam non desideratur, characterem autem inflammatorium, quem ab initio ostenderat facile in oppositum, in nervosum quippe mutat. Pallor cum sudoribus viscidis et frigidis faciem obducit; siccitas oris et sitis ardens aegrum molestant, cui satisfacere non audet, timens, ne dolores in ventriculo augeantur. In phlogosi organi adeo sensilis deesse non possunt symptomata graviora, systema nervosum affectum indicantia: tremores artuum, debilitas maxima, convulsiones, leipothymiae, alienationes mentis; interdum tetanus, trismus et hydrophobia.

Haec symptomata varia sunt, gradu morbi, sede et extensione variis. Dolor praecipue in diversis locis, latius extensus aut limitibus arctioribus circumscriptus, cum majore aut minore vehementia percipitur, prout phlogosis modo hanc, modo illam partem occupat, per majorem aut minorem extenditur plagam et superficialis aut profundiores quoque textus corripiens deprehenditur.

Praeterea e consensu, quem ventriculus cum diversis, in quas inflammatio transmigrare potest, organismi partibus sustinet, cum hepate nimirum, liene, diaphragmate, pancreate, intestinis varia adhuc phoenomena morbosa oriuntur: ut obstructio alvi pertinax, ischuria, icterus, attactus dolens totius abdominis, respiratio admodum dolorifica, singultus etc.

Divisio.

A plerisque auctoribus gastritis in manifestam et occultam dividitur.

Haec divisio in eo fundatur, quod stomachus multorum, accurata necroscopia instituta symptomata phlogoseos praegressae obtulerat, cujus in vivis ne vestigium quidem observabatur (de Haen). Ars medica nullam exinde utilitatem haurit, quum adfectio morbosa, quae symptomatibus sese non enunciat, quasi non existit remediisque oppugnari nequaquam potest.

Quaeritur autem, qui fiat, ut in organo adeo sensili, quale ventriculus, phlogosis locum habeat, quin se prodat phaenomenis sensibus percipiendis?

In plerisque casibus haec phlogoseos symptomata nihil aliud videntur, quam stases sanguinis, aut mortis momento aut post obitum exortae eadem ratione, qua in defunctis maculae lividae in cute adparent externa. Attamen infitias ire non possumus, existere inflammationes stomachi, quae dominante praeprimis statu putrido aut vitiis organicis, adeo rapide in gangraenam transeant, ut stadium phlogisticum plane praetervideatur *).

Gastritis manifesta porro subdividitur in acutam et chronicam.

Quoad extensionem in gastritidem partialem et totalem. Phlogosis partialis nonnisi ab initio locum habet; etenim ulterius sese evolvens, latius proserpit inque totalem abit.

Respectu textus, quem prehendit inflammatio, organici habito, in gastritidem phlegmonosam, rheumaticam et catarrhosam distinguitur, prout aut integra ventriculi substantia, aut membrana externa (serosa nempe), aut interna (mucosa) inflammatione corripitur.

*) Die spezielle Therapie von Dr. Georg Aug. Richter. I. Band pag. 421.

Habemus porro gastritidem primariam, secundariam et metastaticam.

Stomachi phlogosis singulos plerumque homines adgreditur, nonnunquam epidemico influxu complures invadit, ut illam in sporadicam et epidemicam distinguere liceat.

Magnam quoque differentiam febris, quae gastritidem comitatur, ponit et frequentius in illa, quam in quacunque alia phlogosi, enteritide excepta, characterem nervosum aut gastricum prae se fert.

Symptomata gastritidis phlegmonosae.

Symptomata, quorum paulo ante mentionem feceram, ad gradum et extensionem majorem evecta, gastritidem comitantia haec sunt: Praeeunte magno Petro Frank gastritis phlegmonosa aliarum inflammationum adinstar cum horrore frequenter adoritur, sequiturque aestus, ad interna major cum siti et anxietate permagna, cum praecordiorum ac regionis epigastricae tensione, ardore et dolore a compressione quavis, vel et a solo digitorum, stragulorum attactu, aut fortiore inspiratione, vel tussi, vel nixu, intense mox adaucto. Sed non minus vel ad ipsum ventriculi cavum, sensibilitatis morbosae augmentum, ac nauseae continuae, vomituritio, dolens ructuum multorum explosio, multusque ab assumptis, inprimis paulo irritantibus mox ardor, angustiae sensus, ac demum vomitus urgent. Haec symptomata in casu graviori, ac nisi promptam opem feramus, citissime increscunt, ut vel paucus, insipidus, aquosus liquor, cum intolerabili ardore vix susceptus, aut solus aut cum multa et aeruginosa bile rejiciatur, cum interea alvus paucissima reddit et in multis pertinaciter obstruitur. Interea pulsus utplurimum parvi, frequentes, contracti et duri vel et intermittentes, inaequales observantur; vigiliae, inquietudo, jactatio, dyspnoea, sitis, oris siccitas, continuo

augentur; superadditur singultus, dolorem visceris insigniter excitans; facies collapsa cum extremitatum frigore, perfrigerio, virium prostratione summa, ac spasmo ad duodenum extenso, comparente in quibusdam ictero; nonnunquam cum deliriis, donec cessante quovis in epigastrio aut ardore aut dolore, — crescente ventriculi, abdominis flatulenta intumescentia, regurgitatione potus et crebra seri cum impetu quodam effusione, extremitatum marmoreo vix non frigore fatalis in ventriculo gangraenae signa cum leipothymiis, convulsionibus compareant, in illa mortis brevi tempore convertenda.

Gastritidis catarrhosae et rheumaticae natura e febris inflammatoriae absentia et e causis illis faventibus sat difficulter dignoscitur. Si erysipelate aut exanthemate quocunque e corporis superficie evanido symptomata gastritidis oculis obversantur, si membranae mucosae os faucesque investientis ardor et phlogosis adesse observantur et inflammatio stomachi evolvitur, ad catarrhosam aut rheumaticam ejusdem naturam sat tuto licet conjicere.

Symptomata gastritidis chronicae.

Gastritis chronica a medicis minus, quam merebatur, aestimata est, frequentiusque occurrit, quam plerumque putant. Diagnosis hujus morbi multis conjuncta est difficultatibus, quum rarius signa inflammationis ventriculi morbosa in lucem edat, sed frequentissime formam induit causamque constituit veram aliorum abdominalium morborum.

Symptomata, quae praesentiam gastritidis chronicae enunciant, haec sunt: Aeger de sensu dolente conqueritur in regione ventriculi, dolores plerumque sunt lenes, obscuri, obtusi, prementes, tendentes, trahentes, rodentes, cumque ardore conjuncti, qui per oesophagum sursum ascendit. Quibus saepe sensus pressionis et ponderis cujusdam sese adsociat in scrobiculo cor-

dis. Illi dolores non eadem semper intensitate perstant, sed intenduntur iterumque mitescunt. In casu priore extenduntur quoque per tergum versus scapulas nuchamque, imprimis per hypochondria et anteriorem pectoris partem, ut aegri de doloribus pectoris praecipue conquerantur. Mane, ventriculo vacuo, succis inquilinis parietes lacessentibus, et post pastum dolores maxime furiunt. Singularis regionis ventriculi sensilitas erga pressionem externam non semper percipitur, frequentius tensa est inque nonnullis casibus pulsatio in eadem deprehenditur.

Usum nutrimentorum irritantium sensus dolentes augere, facile intellectu est. Id quod etiam affectus animi, turbas excretionis alvinae, congestiones haemorrhoidales et menstruas, refrigerium, imprimis usum ciborum flatus causantium, chymumque acidum et acrem subministrantium, proinde panis, leguminum etc. insequitur. Appetitus admodum variabilis est, plerique aegri parum appetunt, os et fauces siccescunt, sitis augetur, lingua muco albicante obducta, saepe etiam pura, sapor fatuus, acidus, rarius amarus; interdum potulenta frigida contractionem ventriculi cient nauseamque provocant. Multi aegri optime sese habent, ventriculo cibis repleto, bono appetitu non gaudentes, cibos tamen concupiscunt. Illis plerumque contingit, in quibus secretio succi gastrici acidi et acris aucta vacuo hoc organo, ingratam, ardentem et constringentem sensationem provocat. Secretionem succi gastrici in hoc morbo non tantum quoad quantum, sed etiam quoad quale a norma aberrantem deprehendimus, a quo vitio diversa mala originem trahunt.

Plerumque succus gastricus secernitur admodum acidus et acris, simulque amarus saepe rancidusque. Doloribus in regione ventriculi recrudescentibus saepe anxietas et nausea sese adsociant, aegrum ructus acidus rancidusque invadit, in multis sub ardore humor

salsus, acidus, saepe amarus et spumosus per aesophagum adscendit; quibusdam gastralgia obrepit cum omnibus, quibus stipatur symptomatibus, quo facto vomituritiones vomitusque hujus secreti acidi et acris, cui non raro mucus nigrobrunescens immixtus est, insequitur. Multos vomitus ille matutino tempore vexat, et sic dictus vomitus matutinus potatorum saepe gastritidem chronicam causam agnoscit. Vomitu peracto sedatur in plerisque aegris atrocitas dolorum per aliquod tempus. Permulti aegri variis excretionis alvinae turbis adficiuntur, plerumque obstructione et faecibus duris laborant. In plerisque aër copiosus in ventriculo et intestinis excluditur, proinde abdomen inflatur et tenditur, ructusque frequentes emittuntur. His symptomatibus stipatum malum per annos proserpit et sub forma gastralgiae imponit, donec tandem dolores continuo vexant, sensimque status cachecticus evolvitur. Acutam inter et chronicam gastritidem definitus terminus statui non potest, fieri proinde potest, ut decursus aliquot hebdomadum spatio circumscribatur, dum in aliis per annos absolvitur.

Affectione morbosa ulterius progrediente, malum hypochondriacum plurimos aegros adoritur, tristes evadunt, morosi et languidi; temulentiam capitis et somnum inquietum accusant. Ab initio nutritio et restauratio organismi parum a norma deflectit, serius aegroti leucophlegmaticam prae se ferunt faciem tandemque color faciei in pallidum, squalidum luridumque vergit; corpus tabe consumitur, facies collabitur, hippocratica evadit, aliis pedes tument, alii diarrhoea colliquativa adficiuntur.

Febris aperta hanc affectionem morbosam non prius comitatur, quam febris lenta evolvitur, aut exitus infaustus. Prius tamen versus vesperam pulsus durus et frequens, per noctem calor adauctus cum cute sicca et urinae morbose rubrae observantur; symptomata,

quae aliis modo enumeratis praesentibus magni momenti videntur.

Gastritis chronica frequentissime terminatur in (stenochoriam) incrassationem et indurationem parietum ventriculi, quae non raro indolis lardaceae, firmae et scirrhosae sunt. Non solum circa pylorum et cardiam hae degenerationes deprehenduntur, sed etiam in quacunque alia parte ventriculi parietum. Praeterea exulceratio saepe contingit, quae aut superficialis membranam mucosam destruit, aut interiorem substantiam organicam pessumdat, ulceraque format marginibus callosis et inversis faciemque canceraticam induentia. In nonnullis casibus gangraena exoritur iisdem, quibus gastritis acuta symptomatibus stipata.

Respectu causarum distinguimus gastritidem chronicam in

a) congestivam, venosam, quae e stasi sanguinis et congestionibus versus regiones hypogastricas originem trahit, in anomaliis haemorrhoidum et menstruorum, nec non abusu potulentorum spirituosorum saepissime observanda;

b) rheumaticam, quae ab initio simplex ventriculi rheumatismus neglectus in gastritidem chronicam degenerat. Haec gastritidis chronicae species in septemtrionalibus regionibus frequentissima et maximam partem in scirrhum et carcinoma mutatur;

c) metastaticam, quam arthritide anomala, impetiginibus et sudoribus pedum, qui in consuetudinem cesserant, suppressis, animadvertimus;

d) carcinomatosam, quae in singularibus incognitis saepius haereditariis individui rationibus radicata formationi scirrhi et cancri praecipue favet.

Gastritis occulta.

Gastritis occulta, quatenus morbum idiopathicum sistit, medico practico proprie non existit, ut jam su-

pra memoravi, quum omnibus diagnosi inservientibus signis destituitur, quatenus autem symptoma aliorum morborum malignum constituit, eatenus omnem medentis attentionem in se rapiat, necesse est. Hoc respectu praecipue memoratu digna sunt: In febribus putridis et nervosis interdum phlogosis ventriculum prehendit, partim ob systematis nervosi stuporem partim, ob reagendi facultatem depressam symptomata gastritidis necessaria obtutui non offert.

In infantibus gastritis tam rapide saepe decurrit, inque gangraenam transit, ut vix in considerationem trahi possit; praeterea in illis diagnosis semper admodum incerta est. In diathesi putrida et degeneratione organorum abdominalium organica hoc malum citissime in gangraenam ruere potest, ut symptomata fere non advertantur ejusque diagnosis fieri nequeat.

Ceterum gastritis occulta ad res pertinet notatu dignas anatomiae pathologicae et in sectionibus cadaverum probe perpendendum, non ex quolibet rubore aut macula brunescente ad praegressam phlogosin posse conjectari.

Analogiae et differentiae.

Morbi, quibuscum gastritis facile et in summum aegri detrimentum confundi potest, sunt: cardialgia, cholera, hepatitis et inflammatio musculorum et peritonaei eisdem substrati.

Cardialgiam dolor non adeo fixus et igneus, sed potius vagus, attactu non auctus, febris ac sitis majoris absentia, periodicus dolorum insultus, urinae aquosae et tandem medicamina aut potum aliquem assumendi potestas, quin vomitus insequatur, a gastritide discernunt.

Cholera morbus rarior, et nisi epidemice grassetur, fere autumnalis, e praecipiti ac violenta per os et anum evacuatione, e vomitu vel nullo potu as-

sumpto continuo et copioso, e minore in ventriculo ardore et febris absentia a gastritide distinguetur.

In hepatitide intensus ille in ventriculo dolor desideratur, nec a quovis, sive medicamine, sive potu assumpto, tantus ac sub tantis angustiis vomitus excitatur, nec pulsus hic tam frequentes tamque contracti et exiles, quam in gastritide ipsa comparent.

In inflammatione musculorum et peritonaei eisdem substrati, tumor externus, calens, ab attactu magis dolens, circumscriptus et symptomata mitiora, quam in gastritide.

Exitus gastritidis.

Decursus gastritidis acutae semper rapidissimus. Quatuor, ad summum septem dierum spatio morbus nunquam non dijudicatur.

Hoc malum aut resolvitur, aut in suppurationem, indurationem scirrhosam et gangraenam transit.

Resolutionem exspectare licet, si causae minus nocivae quaeque aptissima, in ipso morbi principio, medela amoveri queunt, accusandae sunt, si, venaesectionibus saepius institutis, pulsus elevatur, dolor in ventriculi regione mitigatur, potus assumpti portio retinetur, alvusque sua sponte secedit. Interdum et aliae excretiones, urinae, sudores morbum benigne judicant.

Suppurationem exortam esse ex signorum criticorum absentia, febris constantia ac vehementia, doloris pungentis in pulsantem et prementem mutatione, ponderis et anxietatis sensu ad ventriculum et signis, quae internis suppurationibus communia sunt, conjicimus.

Abscessus aut foras aperitur per integumenta externa et per peritonaeum inflammationis ope cum ventriculo concretum. Hac ratione fistulae ventriculi oriuntur, quae contenta hujus visceris transeunt et

nutritionis processus maxime turbatur; aut in ventriculi cavum aperitur, quo facto materia purulenta cum sanguine remixta per os vel per anum rejicitur. Quo in casu vita facilius servari potest, ast, perstante in ventriculi cavo suppuratione, febris hectica oritur vires aegri consumens; aut pus ad viscera vicina destillat, ad pulmones, hepar etc., vel ipsas interdum costas erodit, et plerumque febre suppuratoria aegrum morti tradit. Denique abscessus in cavum abdominis rumpere potest, quo in casu mors certa.

Induratio eo magis timenda, quo lentior inflammatio. Signa, quae hunc morbum comitantur, terribilia sede ac extensione variant. Inprimis regionem pylori occupant. Vomitus chronicus sensim sese insinuat, qui tanta capit incrementa, ut stomachus ne minimam quidem potus cibique portionem ferendo par evadat. Itaque aegris fame pereundum est, febrisque hectica symptomatibus hydropicis juncta ultimam claudit scenam. Nonnunquam denuo phlogosis exoritur in gangraenam ruens, citiusque mortem arcescens. In carcinoma quoque induratio transit, quo facto materia ulcerosa, foetida, acris, cum sanguine resoluto commixta vomitu eliminatur.

In gangraenam gastritis saepissime ruit, quia hoc viscus tot nervis et vasis sanguiferis provisum est. Signa, quae hunc exitum infaustum indicant, morbosa sunt: extremitates frigescunt, pulsus sunt parvi, debiles, intermittentes vix numerandi, facies hippocratica, debilitas extrema, leipothymiae sese excipientes, dolores ad summum gradum evecti subito silent. Phlogosis a causis deleteriae naturae, ut venenis deglutitis genita, plerumque hac ratione terminatur.

A e t i o l o g i a.

Dispositio ad gastritidem quaerenda est in magna sensibilitate et irritabititate hujus organi, conjuncta

cum constitutione corporis inflammationibus favente. Homines itaque, qui plethora abdominali activa aut passiva adficiuntur, ut haemorrhoidarii, aut qui vitam sedentariam agunt, quorum viscera abdominalia infarcta atque obstructa sunt, qui diuturno potulentorum vinosorum et ciborum aromatibus nimis conditorum usui adsueti, et feminae non rite menstruatae: si oppositio vitalis. quae inter viscera abdominalia et cutem externam obtinet, nimis intensa est, quo fit, ut vita in systemate cutaneo per refrigerium suppressa in tractu intestinali ad enormem exaltetur gradum, id. quod in hominibus molliter educatis, omnemque impulsum externum quidquam ingratum caute fugientibus, observandi haud rara conceditur occasio. Tempore autumnali. aestate dominante constitutione biliosa, levissimis causis provocatur.

Ad momenta excitantia referenda sunt, omnia, quae idiopathice aut sympathice. mechanice aut chemice, extrorsum vel introrsum, stomachum vehementer stimulant. Potus frigidissimus, glacies aestuanti corpori ingesta, balneum frigidum, venena e regno vegetabili aut minerali interne assumpta, ut: arsenicum, murias hydrargyri corrosivus, aerugo, lapis infernalis, jodum, murias barytae, acidum sulfuricum. muriaticum, nitricum, arnica, fungi venenosi, abusus vini et in genere spirituosorum, ut: vini cremati. spiritus vini; variae tincturae et essentiae, nimius aromaticorum usus, cibi calidissimi, nimis stimulantes, excitantes, acres, fermentantes, remedia drastica, vermes intestinales ad ventriculum usque adscendentes (id, quod infantibus interdum accidit), bilis acris. caustica, in febribus biliosis vehementioribus, materiae variae in putridam fermentationem transgressae ventriculum implentes, nimia per nutrimenta assumpta ejusdem organi extensio, concussio per ictum regioni ventriculi illatum. Inflammationibus organorum vicinorum, hepatis, lienis, diaphragmatis, pancreatis, etc. gastritis sociam se adjungit.

Causae sympathicae (consensuales et antagonisticae) sunt: laesiones capitis graviores, concussiones medullae spinalis, suppressio excretionum normalium aut morbosarum, quae in consuetudinem jamjam cesserant, sanguinis et aliorum humorum, recessus variolarum, scarlatinae, erysipelatis, rheumatismi, arthritidis, scabiei, herpetis aliorumque cutis morborum. Tandem gastritis symptomatice typhum contagiosum, febrem biliosam, flavam, variolas comitatur.

Gastritis chronica producitur plerumque continuato abusu potulentorum spirituosorum et aromaticorum, nutrimentorum aromatibus nimis conditorum, contraria medendi methodo affectiones morbosas, digestionis organa plectentes, remediis stimulantibus adgrediendi, saepius repetita ventriculi oppletione, compressione ejusdem organi per thoraces, anomaliis impetiginum, rheumatismi, arthritidis, haemorrhoidum, menstruorum etc.

Prognosis.

Summa, monente Petro Frank *) hunc morbum obsensilissimam ac consentientem ventriculi cum universo corpore naturam pericula premunt, sub quibus tam celeri nonnunquam morte rapiuntur aegroti, ut convulsione magis aut momentanea actionum vitalium abolitione, ex solo nervorum in easdem imperio derivanda, quam alio videantur exstingui inflammationis eventu.

Nulla alia phlogosis tam cito in gangraenam ruit, quam gastritis. In prognosi statuenda gradus extensionis et intensitatis, sedes, singulares causae occasionales, dispositio individualis, complicatio cum aliis morbis perpendendae sunt. Quo magis in ventriculi ostio admittente aut emittente aut in utroque sedem figit, eo graviora, pejora et periculosiora symptomata sunt. Ce-

*) De curandis hominum morbis epitome auctore Joanne Petro Frank lib. II. de inflammationibus pag. 243.

lerrimus morbi decursus observatur in gastritide a venenis assumptis, a podagra retrogressa, a subito ventriculi refrigerio, et in subjectis admodum sensibilibus exorta, lentior in illis, qui e causa minus vehementi in hoc malum incidunt. Atrocitas dolorum, vehemens et repetitus vomitus, pulsus parvus et frequens, frigus extremitatum, leipothymiae, convulsiones, facies collapsa, hippocratica de periculi praesentis gradu monent.

C u r a.

Ad gastritidem acutam tollendam, cita et efficax requiritur cura, quae partim ad inflammationem, partim ad rationes causales dirigatur necesse est.

Methodus antiphlogistica, phlogoseos vehementiae et aegroti conditioni accomodata instituenda, quae magis venaesectionibus et externis remediis, quam interno remediorum usu absolvenda est, quoniam ventriculus inflammatus remediis assumendis impar existit. Altior inflammationis gradus venaesectionem largiorem saepiusque repetendam sibi exposcit, nec signis debilitatis universalis, pulsuum parvitate, extremitatum frigore, nec symptomatibus nervosis arcendam, quae nonnisi phlogosi infracta imminuuntur. Quodsi medicus arcessitur, gangraena jam exorta, tum de sanguinis missione sermo esse non potest, verum nec ulli methodo mortem instantem abigere continget.

Depletiones sanguinis universales adjuvantur per locales et in morbo mitiori hae quoque sufficiunt. Applicandae sunt decem ad viginti hirudines stomachi regioni, aut cucurbitae cruentae imponendae, quae ob effectum epispasticum in integumentis abdominis minus sensilibus commendari merentur.

Praeter depletiones sanguinis remedia externa primum locum tenent. Sinapismus stomachi regioni imponendus, unguentum hydrargyri cinereum repetitis

vicibus aut pannus linteus hoc unguento obductus vel cataplasma emolliens ex herbis narcoticis applicandum et oleum hyoscyami inunguendum est. Auxilium praestantissimum adferunt balnea tepida saepe repetenda, quibus etiam pedi- et maniluvia interponi possunt. Remedia interna nonnisi summa cum cautela adhibenda sunt: substantiae enim peregrinae ventriculum irritant, vomitum provocant, phlogosimque ad majorem extollunt gradum. In casibus gastritidis gravioribus aut plane abstinendum ab iis, aut ad summum utendum emulso e gummi arabico vel seminibus papaveris albi, cui aliquid aquae laurocerasi vel extracti hyoscyami admisceri potest. Licet mixturae oleosae minus ferantur, periculum tamen cum oleo amygdalarum dulcium recenter presso facere licet. Dum phlogosis a summo intentionis gradu jam recessit, quaedam doses muriatis hydrargyri mitis saepe optime feruntur, morbi resolutionem promovent, aucta secretione intestinali et promota alvi excretione. Tensioni spasticae remittente inflammatione relictae tincturae opii aliquot guttae medelam adferunt. Contra alvi obstructionem clysmata mucilaginosa cum multo oleo adplicanda sunt.

In tractanda phlogosi momentorum causalium simul ratio habenda, et si fieri potest, statim removenda sunt. Si inflammatio a refrigerio exorta est, transspiratio cutanea, quantum fieri potest, promovenda, cui indicationi epispastica et balnea satisfaciunt. Quodsi venena acria, ut arsenicum, murias hydrargyri corrosivus, cuprum, antimonium, calx usta, plantae narcotico-acres, acida concentrata, cantharides etc. causam gastritidis constituunt, accidere potest, ut medicus, priusquam inflammatio exorta sit, advocetur; in hoc casu indicationem, venenum via brevissima et maxima quam potest celeritate, e corpore eliminandi explere studet, aut ad aegrum arcessitur, si de veneni evacuatione non amplius sermo esse potest, tum veneno

involvendo, resolvendo et destruendo omnem operam navet oportet.

1. Contra arsenicum praeeunte Schoeller *) nullum hucusque cognitum antidotum, quodlibet enim corpus commercium ingrediens cum illo, semper retinet malignam suam primitivam naturam. Lac, decocta mucilaginosa magna copia ingesta, adeps, butyrum, ovi vitellum, sanguis animalium calidus, olea pinguia, praeparata ferri, ferrum hydrothionicum, sulfur, praecipue hepar sulfuris, solutio saponis, saccharum aqua solutum, aqua calcis, carbo, carbonas magnesiae.

2. Contra cuprum: hydrojodas lixivae, saccharum, lac, carbo vegetabilis, albumen, aqua frigida, ferrum.

3. Contra hydrargyrum: sulfur ejusque praeparata, opium, carbonas magnesiae, amylum, lac cum albumine, ferrum, sulfas zinci.

4. Contra nitratem argenti: murias sodae.

5. Contra antimonium: saccharum aqua solutum, secundum Orfila cum grano uno extracti opii, decoctum corticis chinae, salicis aut gallarum; pulvis aerophorus e bicarbonate sodae et acido tartrico.

6. Contra bismuthum: lac et potulenta dulcia mucilaginosa; idem contra zincum et stannum;

7. Contra plumbum: hydrargyrum, pinguedo animalis, magna copia aquae cum sulfate magnesiae, flores sulfuris, hepar sulfuris, carbonas magnesiae, balnea cum hepate sulfuris, saccharum aqua solutum.

Contra alcalia caustica: acetum et succus citri; contra sulfatem sodae et sulfatem magnesiae: murias barytae; contra lixivam: oleum; contra calcis intoxicationes: serum acidulum; contra acidum nitricum muriaticum et sulfuricum: lac, potulenta mucilaginosa, ammoniae solutiones, magnesia, sapo.

---

*) Die innerlichen Krankheiten des Menschen von Ferdinand Edlen von Schöller. Wien 1839, pag. 230.

Intoxicationibus, quae fiunt per substantias vegetabiles narcotico-acres, in genere opponuntur acida vegetabilia. In specie opponitur hyoscyamo: acetum interne et per clysmata applicandum; dulcamarae: oleum tartari per deliquium; nuci vomicae et fabae St. Ignatii earumque praeparatis: acetum vini, aquae destillatae aethereae, oleum terebinthinae, magna lactis copia, acetas morph.; radici ipecacuanhae et principio emetico: tenue gallarum decoctum; camphorae: opium; aconito: pulvis aconiti lycoctoni; digitali purpureae: succus citri et aurantiorum, aether aceticus, ammonium aceticum potus arabicus, camphora, polygala senega, radix vinci toxici, squilla maritima, jodinae: solutio muriatis sodae; acido hydrocyanico et aquae laurocerasi: sal tartari, et oleum tartari per deliquium, spiritus salis ammoniaci, oleum terebinthinae, potus arabicus, ammonia pura liquida aqua diluta, chlorina liquida; acido oxalico: aqua calcis, magnesia; secali cornuto: ammonia et hydrargyrum; opio: potus arabicus, radix ipecacuanhae, vinum crematum, spiritus cornu cervi, camphora, acetum, acidum citricum et tartaricum, tartres lix. stibiatus refracta dosi, aqua frigida, infusum gallarum, cortex quercus, flores sulfuris; cicutae: acida vegetabilia, ammonium carbonicum; fungis venenatis: ammonia pura liquida, olea pinguia, acida vegetabilia, potus arabicus, usus aquae frigidae copiosus, carbo vegetabilis in pulverem redactus; strammonio et belladonnae: oleum tartari per deliquium, acidum aceticum, clysmata cum aceto et camphora.

Contra venena e regno animali, ut contra acidum zoonicum utuntur succo citri cum hepate sulfuris, sulfureto hydrogenato ammoniae, potu arabico, oleo terebinthinae, acidis vegetabilibus; contra ova piscium venenata pipere hispanico, solutione salis culinaris saturata, quam contra hirudines deglutitas adhibent; contra cantharides: camphora, opio, oleo amygdala-

rum dulci, emulsis; contra phosphorum: magnesia et sapone.

Quodsi gastritis a bili acri originem traxerat, vomitus spontaneus sustentandus, quo non praesente, leniter promovendus est. Phlogosi ad altiorem gradum jam evecta, emesis sine magna morbi exasperatione provocari non potest, recurrendum itaque est ad acida vegetabilia praeprimis ad succum citri, quo acredo bilis mitigatur, ejusque irritans effectus sufflamminatur, donec irritatione phlogistica remittente eliminatio conceditur. Corporibus mechanice lacessentibus in ventriculo haerentibus stomachus mucilaginosis implendus est, ut a parietibus removeantur, chymoque involvantur.

Gastritis metastatica epispastica valida sibi expostulat, balnea calida, ut transspiratio cutis restituatur, sinapismi et vesicantia parti, in qua processus morbosus antea radices fixerat, imponenda. Profluvia sanguinis retenta et suppressa depletionibus sanguinis derivantibus, hirudinibus ad femora, ad labia majora, ad anum compensanda sunt.

Gastritis, quae a vulnere aut constrictione mechanica oritur, praeprimis auxilium chirurgicum requirit. Hernia abdominalis aut umbilicalis intercepta reponenda, vulnus stomachi e regulis chirurgiae tractandum est. Contusiones ventriculi regioni illatas plerumque comitantur symptomata concussionis plexus solaris, saepe etiam musculi abdominales peritonaeum in processum morbosum rapiuntur. Rite peractis depletionibus sanguinis imprimis localibus fomenta calida egregios effectus praestant.

In tractanda chronica stomachi inflammatione, accurata omnium ad sustinendum processum morbosum concurrentium circumstantiarum aestimatio requiritur. Quo magis symptomata irritationis activae sese enunciant, eo magis necessariae sunt locales sanguinis detractiones per hirudines aut per cucurbitas cruentas.

Plurimum auxilii adfert hirudinum adplicatio ad anum. Praeterea functio cutis expedienda per balnea calida, partim vita cutanea excitanda per inunctiones irritantes, unguentum tartari emetici, praecipue autem per moxam. Interne calomel optime conducit, deinde succi plantarum resolventes antiphlogistici, melago graminis, extractum taraxaci, cichorei, fumariae, saponariae etc. serum lactis, aquae medicatae resolventes commendandae sunt.

Tractamen diu et patienter continuandum, et quantum fieri potest, leni modo perficiendum est. Momentorum causalium non minor ratio habenda est, quam in gastritide acuta. Anomaliae haemorrhoidum et menstruorum removendae et congestio sanguinis versus ventriculum oppugnanda est. Rheumatismus ventriculi balneis et epispasticis tractatur. Usus etiam aquarum medicatarum resolventium saluberrimus praedicatur. Metastases ad sedem processus morbosi priorem revocandae et huic remediis opportunis occurrendum. Gastritidi occultae mederi non possumus, quoniam desunt symptomata ejus praesentiam indicantia.

Hoc morbi tractamen adhuc adjuvandum est conveniente regimine diaetetico. Aeger nonnisi blandis et mucilaginosis cibis et potulentis, iisque exigua quantitate utatur necesse est. Potulentum nec frigidum sit, nec calidum, sed egelidum.

Pauca adhuc de tractamine suppurationis, scirrhi et cancri adjungenda mihi videntur. Suppurationem stomachi, nisi sola natura, medicus certe non sanat.

Quotiescunque interim haec subesse videatur, sub parcissimis, iisque liquidis alimentis potuque emolliente, abscessus in ventriculum forte salutarem depletionem patienter exspectamus. Reliquum ab illo in ventriculo, quamplurimum lethale ulcus, praeter tenuissimum iterum victum ex ovi recentis vitello in jusculo carnis soluto similibusque quaerendum, vix alia, nec

certe balsamica sic dicta remedia perferre observatur. Impraegnatae ab aere fixo aquae cum tenui lactis asinini portione, ac ipse peruvianus cortex clystere injectus tentari his sub angustiis queunt *).

In cura indurationis stomachi jam formatae parum plerumque proficimus. Saepe nihil aliud praestare possumus, quam clysmatibus nutrientibus aegri vitam, quamdiu fieri potest, prolongare. Victus sit levis et nutriens, ne ventriculus nimis irritetur. In usum trahenda sunt illa remedia, quae contra scirrhosin magnis extolluntur laudibus, cicuta nimirum, hydrargyrum, belladonna, aqua laurocerasi, aurum raro aliquid utilitatis adferunt, frequentius stomachus non fert.

Plurimum praestabunt remedia leniter solventia: mel, vitellum ovi, extractum taraxaci et cichorei, succus cucumerum expressus, lac. Carcinomate e scirrho evoluto cuncta artis medicae conamina irrita redduntur. Aqua Selterana et succus radicis dauci expressus, foetidam saniei indolem per aliquod tempus corrigunt et opium, illa sacra vitae anchora, dolores leniet saepe intolerabiles.

---

*) Joanne Petro Frank de curandis hominum morbis, lib. II. pag. 248.

Litteratura.

Frid. Hoffmann, Diss. de ventriculi inflammatione. Hal. 1706.

Rosenstein, de inflammatione ventriculi. 1741.

W. Henning's wahre und zuverlässige Beschreibung von den Kennzeichen und Kur der Entzündung des Magens und der Gedärme. Kopenhagen 1787.

Wienhold, Diss. de inflammatione occulta. Goett. 1772.

de Haen, ratio medendi. Tom. 9. p. 24. Tom. 6. pag. 258.

Stoll, ratio medend. Tom. II.

D. August Gottl. Richter's spezielle Therapie, erster Band, Seite 420.

Joann. Petri Frank, epitome de curandis hominum morbis, lib. II. pag. 236.

Francisci nob. ab Hildenbrand, institutiones practico medicae. Tom. III.

C. W. Hufeland Enchiridion medicum. Berol. 1836 pag. 195

Ferdinand Edler von Schöller, die innerlichen Krankheiten des Menschen. Wien 1839. pag. 226.

Johann Nep. Edler von Raimann, Handbuch der speziellen medizinischen Pathologie und Therapie. Wien 1826. I. Band. Seite 349.

Johnston tentamen de gastritide. Edinb. 1790.

Theses defendendae.

1. Methodus stimulans non in omni debilitate.
2. Musices ars maximam quandoque symbolam ad sanationem confert.
3. Cuncta roborantia per se parum roborant.
4. Ad morborum quorumdam curam suscipiendam maxime opportuna anni tempora: ver et aestas.
5. In anamnesticis ne sis nimis brevis.
6. Phthisim nostris temporibus frequentiorem, quid mirum, si ubique locorum, saltus immodicus saltandique modus perversus.
7. Eximius sanitatis custos est dolor.
8. Existunt morbi, quos non natura, sed medicus sanat.
9. Scrophulosis saepe causa epilepsiae.
10. Nihil magis hominum saluti nocet, quam divulgatio medicinae mysteriorum.
11. In prognosi statuenda medicus quam maxime cautus sit oportet.
12. Secale cornutum non in omni metrorrhagia adhibendum.
13. Aeris avidum designat medicum, frequentius, quam necesse est, aegros visitare.
14. Medici honesti non est, ut famam sibi pariat, levioris momenti morbum pro graviore declarare.
15. Praematura ingenii sui opinio medico juniori velis remisque fugienda.